

uerum 6 sig. 9 gra. 19 minu. 45 secund. addo similiter eandem medio motu planetæ, & conflatur uerus motus epicycli 2 sig. 22 gra. 29 minu. 59 se. Subtrahorq; prædictâ æquationē centri æquatam de argumento medio, relinquitur uerum 9 sig. 29 gra. 58 minu. 18 secund. Quo factio æquationem abijcio & intro cum centro æquato ad eandem tabulam pro minutis proportionalibus inuestigandis, quæ offerunt se numero 60 propiora absq; differentia, & ideo pro æquatis habenda sunt scribendaq; ad partem, quo factio centrum penitus abijcio. Cum argumento autem de tabulis Saturni modo exposito ipsam æquationem sub titulo æquatio argumenti, inuenio 5 gra. 4 min. cum titulo subtractionis, cuius differentia ad sequentem angulum est 3 minu. quæ per residuum argumenti multiplicata producant 2 minu. 53 secund. loco partis proportionalis. Hæc igitur pars proportionalis, suadente eius titulo de ipsa æquatione argumenti amputari debet, & residuabitur æquatio argumenti æquata 5 gra. 1 mi. 7 secund. primo examinata. Deinde minuta proportionalia præinuenta uidentur habere titulum propior appellatum, qua propter sub longitudine propiori præfatæ tabulæ diuersitatem diametri extraho de angulo communi per signa gradusq; ueri argumenti constituto, scilicet 0 gra. 20 mi. de factio æquatam propter cyfram in linea differentiali dicti anguli positam. Pro finali autem argumenti æquatione habenda in loco epicycli, hanc diuersitatem per minuta proportionalia prius seruata ad partem multiplico, & excrescunt 20 mi. Illud autem productum tam propter titulum minorum proportionalium, quàm diuersitatis diametri, uidelicet propior, æquationi argumenti primo examinatæ adiungo, & colligitur 5 gra. 21 mi. 7 secund. Æquatio argumenti ultimo examinata, quæ contingit in loco transitus epicycli, quàm aufero, de uero loco centri epicycli supra inuento secundum tituli sui præceptionem, remanebit locus Saturni uerus. s. 2 sig. 17 gra. 8 mi. 52 secu. in zodiaco primi mobilis, ad tempus propositum, ueraciter adinuentus, quod erat attentandum.

### De cautelis obseruandis in operatione tabularum, Propositio XIII.

**C**autelas in operatione obseruandas explanare. Si contigerit centrum aut argumentum in tabulas mittenda nihil esse in signis, nihil in gradibus, in minutis tamen aliquid, aut alijs fractionibus, tunc nulla est æquatio signis & gradibus correspondens. Quatenus autem habeatur fractionibus æquatio debita. Accipiēda est prima differentia cū suo titulo æquationis cētri, si cū cētro negociaberis, aut argumēti si cū illo intrandum fuerit, uel longitudinis pro tunc ocurrentis pro diuersitate habenda de tabula sub 0 sig. & 0 gra. Ipsa etenim prima differentia idem est cum æquatione penes primum gradum posita, qua propter idem est accipere differentiam aut æquationem. Tandem ducatur illa differentia in singulas